

Disputatio botanica de ustilagine frumenti ... / præsiede Rudolpho Jacobo Camerario ; publico examini submittit Johannes Andreas Planer.

Contributors

Planer, Johann Andreas.
Camerarius, Rudolf Jakob, 1665-1721.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingæ : Typis Joh. Cunradi Reisl, 1709.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/uycucbfz>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Q. D. B. V.

DISPUTATIO

BOTANICA

DE

USTILAGINE
FRUMENTI,

QUAM

In Almâ Eberhardinâ,

PRÆSIDE

Rectore Magnifico,

D. RUDOLPHO JACOBO
CAMERARIO,

Medicinæ Professore Ordinario,

Præceptore suo Honoratissimo,

*Publico examini**submittit*

JOHANNES ANDREAS PLANER,

Freudenstadensis,

Ad diem Augusti

IN AUDITORIO MEDICO,

Horis antemerid.

ANNO MDCCIX.

TUBINGÆ,

Typis JOH. CUNRADI REISL



Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30771183>



Σ. Θ.

Iohan. Baptista van Helmont tumulum pestis inspexi nuper, dum minatur ab oriente pestis, & offendi varia inter paradoxa ibi pestem quandam frugum, dignam Ipsi visam, quam annotaret specialius. Scilicet habent in omni historiâ passim quod recolant posterî, & applicent ad suorum fata temporum. *Pestem hominum* per Dei gratiam Patria quidem non passa est ab anno 1635: Utinam porrò libera maneat & immunis! *Pestem autem frugum* experitur jam ab annis quatuor omninò talem, qualem Ille reliquit descriptam. Hoc ergò Thema dat præsens anni tempus, messis tot votis exoptatæ melioris: Disputare autem jubent Statuta Collegii Martiniani, cujus alumnum grato animo me profiteor. Faxit divina veritas & bonitas, ut agnitio juvantium & nocentium fiat usque clarior, in certum artis medicæ augmentum, bonumque mortalium publicum!

Verba Toparchæ Merodani sic se habent: Anno 1550. in Augusto, Galli primum viderunt triticum, quod vocant roratum, sive melitum, in arista adhuc viridi, hâlecem fumatam odore referens: in maturâ verò, nil nisi fœtidum pulverem atrum: popularium utinam non morborum plurium causam. Plaga est, quæ nobis magnam furatur annonæ partem: sata nempe est Zizania contra potentiores Prelatos. Quam utinam noscerent & præviderent!

Talis & tantæ mutationis subiectum dicitur *Triticum*, sed videtur sumi species pro genere, quia frumentum tantum non omne ipsi est obnoxium, ex testimonio & botanicorum & experientiæ proximorum annorum. Sciendum autem, triticum proprie dictum, *Weizen*/ circa Tubingam non vel rarò coli, scil. illam frumenti optimi speciem, cujus grana per triturationem

nem glumis excutiuntur; **blosse Frucht** vocant. Nostrum verò frumentum κατ' ἐξοχὴν **Korn / Dinkel** / glumam trititando non deponit, donec ab eâ liberetur in molâ, tunc audit **Kern**; vocatur botanicis zea sive spelta. Nostrum porrò frumentum, **Thmer** / gradu bonitatis propinquius, est eorum zea verna; Nostrum denique **Einforn** / inferioris & vilioris conditionis, est eorundem zea simplex & monococcus. Prima harum est spicâ muticâ; duæ posteriores sunt spicis aristatis. Illæ ergò herbarum cerealium apud nos ustilagini obnoxia, fuerunt maximè zea nostra prima, hordeum & avena. De posterioribus zeæ speciebus non æquè constat nobis: Nec secale ita corruptum vidimus, sed modo alio, de quo in seqq. Etiam permixtum avenæ lolium, zeæ & avenæ ægilops, videbantur nobis excipi. An, quod durior ipsis natura & sylvestrior? Vix una item comparuit ustilago in illâ festucæ specie, quam *J. Bauhinus* Gramen Gros vocat, nostri *Trefzen*. Aliundè fama fert, oryzam quoque & milium ustilaginem pati; apud nos autem nec hæ frumenti species coluntur. Itaque restringitur ustilago ad fruges; excipiebantur plantæ non modò in vineis & hortis, sed & in agris tali segeti permixtæ, nihil quidquam tale pati videbantur vicina legumina & olera: Nulla tum ustilago pulchelli lathyri tuberosi, melampyri, pseudomelanthii, cardui inter avenam nascentis, &c. Nec arborum propinquarum fructus tale quid obtulerunt. Solius *Scorzonera* palustris pulverifloræ Hort. Reg. Paris. & pulveriferæ Morison. prælud. Botan. in pratis olim ad torrentem vicinum **der Steinach** sibi obviæ meminit Præses, quæ in Suppl. Hist. plant. *J. Razi* vitium naturæ à cœlo aut solo esse dicitur: Flores autem ipsius scatebant fuligine, sive veram concludebant ustilaginem. Ita malè mutantur plantæ bonæ.

Id, quod passum fuit triticum, dicitur conversio in *pulverem atrum*: Hinc est ustilago, Botanicis frugum non species, sed vitium, morbus & pestis. Ejus synonyma apud *J. Bauhinum* leguntur carbunculatio, rubigo, ærugo, erysibe græcorum. (quam tamen

tamen æruginem dici non probat *Scaliger*, ob rubiginis colorem in ferro & frugibus, ab æris situ, qui est ærugo, valdè diversum, in comm. ad l. 4. c. 17. d. caus. plant. *Theophrasti Eresii*.) In vernaculâ dicitur **der Ruß**/ cui vel primo adspectu similis est. Rubigo quidem passim, ut apud *Plinium* hist. nat. l. 18. c. 17. & 29. describitur causaliter potius, tanquam injuria cœlestis & sterilitas, quàm formaliter, quid sit præcisè, nisi quantum ipsa vox rubiginis importat. Patebit, quantum ista discrepent vel conveniant, si determinetur, secundum quid sui patiat frumentum. Culmus foliumve neutiquam degenerat, sed grana in fuscum fuliginosum pulvisculum commutantur; scripsit *J. Bauhinus*. Flores & folia herbarum & arborum sæpè contingit maculari, contrahi, consumi: Nihil tale comparere solebat extus in zeâ nostrâ fuliginosâ, culmus, nisi quòd parum humilior, spicam albam videtur promittere bonis granis gravidam, sed his contritis ater pulvis præstò est, loco bonæ farinæ. Scilicet in hoc differt zeâ ab hordei & avenæ ustilagine: Horum enim tota spica nigricat, grana sunt aperta, quasi erosa, ita ut eundo & equitando per infectas segetes vestibibus adhæserit ipsa nigredo; Non ita per segetem zeâ, sed in spicis ad extra pulchris & mundis quis crederet tale quid fœdum latere.

Non ergò est granorum *excresecientia*, qualiter nimis humida in horreis congesta frumenta interdum intempestivè germinant; Non *defectus* granorum, spicæ non sunt cassæ & inanes, grana non sunt modò exilia, contracta; Non *externa* solum *defædatio*, infectio aut arrosio, sed internè plena mutatio. Non degeneratio ipsorum monstrosa, qualis *clavorum siliginis*. Nam *secale* quidem iisdem annis hæc suas excresecientias habuit multas, imò zeâ etiam illa tertia, ut ut grano non, uti secale, sit nudo; sed aliud hoc vitium secalis est, ab ustilagine diversum. Prominent è spicâ illi clavi, semine sano & bono duplo vel triplo longiores, figuræ teretis, incurvæ, sic satis corniculo vel clavo similis, coloris extus atro-purpurei, intus albi, farinacei, consistentiæ duriusculæ, siccæ, fragilis, digito non pulve-

risandæ, saporis & odoris nullius singularis, cum omnimodâ obliatione germinis; ut ovorum subventaneorum monstro-
 forum censui adscribendi videantur. Unde sato clavo tali nulla
 plantæ spes est nobis. Qualitates autem ustilaginis sunt *color*
 fuscus, ater, intimè, *odor* in aristâ adhuc viridi halecem fuma-
 tam, a triplicem fortè foetidam, quæ garum olet, referens, *con-*
sistentia pulveris tenuissimi. Ex hoc coloris phænomeno sunt
 hæc *Tabernamontani*: **Den Staub von dem Brand brauchen**
die Mahler/ und gibt eine schöne Rauch-Farbe. Quanquam
 ergo zætales grana è suis glumis eximi possunt adhuc integra,
 & figura ipsorum nescio quid boni videtur promittere, digitis
 tamen trita atrum atque foedum illum pulverem effundunt, &
 demonstrant, ex duobus illis, quibus constat frumenti granū,
 carne, pulpâ, medullâ, corpore aliàs farinaceo, & plantulâ se-
 minali, recenti germine, prius corrumpi ad similitudinem fuli-
 ginis, posterius autem planè deesse; & sic importare omnimo-
 dam generandi vel germinandi impotentiam.

Cuinam comparari possit hæc seminis corruptio, non æ-
 què suppetit. An illi, quâ *situs* obducitur mucidis? velut ipsi
 pani, è farinâ bonâ confecto, tandem accidit. Sed *Malpighius* mu-
 cedinem per microscopia contemplatus, copiam ibi flosculo-
 rum muscosorum & fungulorum deprehendit: quale quid usti-
 lago non offert. Undè nec plenè huc quadrat exemplum *uva-*
rum ultimo autumno adhuc immaturarum, tamen putrescen-
 tium, & quidem cum situ, ut concussæ pulverem instar fumi
 dimiserint. *Bovista* Chirurgorum, sive crepitus lupi è fungorum
 familiâ, primò medullæ est albæ, gravis, sed per maturitatem
 corrumpitur, quin siccatur, in tenuissimum pulverem, nam le-
 vissimus fit, ut caput humanum æquans, unciale pondus vix
 excedat, calcatus crepitum edit, & quasi fumum emittit, ocu-
 lis inimicum, imò perniciosum, hâc tn. atrâ fuligine utuntur ve-
 terinarii ad intertrigines, pelliculâ spongiosâ verò tonsores ad
 restinguendum sanguinem; dum alius non adeò absimilis fun-
 gus non in pulverem transit, sed hyemis injuriâ peponis exem-

plo putrescit: uti apud *Maur. Hoffmannum* in florâ, *J. Rajum* ex *Cordo, Clusio, J. Bauhino* pluribus videre est. In Med. Sacr. *Gerhardi* nr. 38. d. præf. vit. fugac. hoc legi: *Nascuntur poma circa regionem Sodoma, quæ delectant exteriori pulchritudine, sed contacta in pulverem abeunt.* At frustra quæsi vi apud botanicos.

Triticum illud dicitur *roratum* sive *mellitum*, eoque ipso innuitur causa corruptionis ros mellitus, *honigthau*; an idem cum *mehl* vel *miltbau*? Modus lædendi explicatur diversimodè, tam per acrimoniam roris causticam, quàm insectorum in ipso injuriam, & denique per humidi stagnantis putrescentiam. Præpollere in rubigine acrimoniam acidam & corrosivam, prætendit *Ramazzinus* in app. E. N. C. 2. 9. & in earundem 3. 10. *Hoyerus* sub dulci talis mellis aut roris sapore acrimoniam volatilem occultatam probat ab effectu, nausæâ, vomendi conatu, item ulcusculis labiorum, & pustulis pedum, qualia iste gustantibus & tangentibus intulit: quibus autem frumenti granis, maximè filiginis, roralis ejusmodi lympa largius inhæserit, mirum in modum fuisse corrupta ac monstrosa notavit; Non tamen in nostram ustilaginem, sed in dictos prius clavos. Verum enimverò, per hos quatuor annos nec toties nectam longè lateque comparuit ros ille mellitus, aliàs non ignotus, nec occurrerunt in agris signa rubiginis, effectus roris, à *Ramazino* communicata; neque in frugibus nec aliarum herbarum foliis visa fuerunt inusta stigmata, vel ipsæ maculis nigricantibus distinctæ puncticulari quasi morbo laborasse. Ut de hac lædendi ratione dubitare cogat munda zeæ nostræ superficies, quæ interioris corruptionis causam requirit. Quod si tamen ad acidum aut alcali referri debeat non tam ille ros quàm ustilago ipsa, quia hæc ab acido magis afficitur, contrariæ potius naturæ argui posset. Miscendo enim grana talia cum aquâ forti, magis adhuc cum salis spiritu, tantillum spumæ & bullularum obtinetur, fœtor ille non amplius sentitur, & color minus nigricat: Nulla verò efferuescentia comparet cum oleo tartari per deliquium, manet indè fœtor, nigredo intenditur.

Nec

Nec ustilaginem adhuc ab infectis deducere possumus. Apud *Rajum* quidem hæc leguntur de clavis fecalis: *Annon infecti alicujus punctura originem debeant hujusmodi excrescentia, inquirendum.* Ros etiam mellitus in *E. N. C.* 6. o. 188. *mehlthau* dici creditur, à vermiculis, quos concludit, instar eorum, qui nascuntur in caseis putridis, & nominantur *millen*. *J. J. Zwingeri* autem in *plant. valetud. advers.* de stillicidio sereno hoc est: Procreare illud, si in certas herbas, v. g. pisa, deciderit, animalcula innumerabilia, quæ primò viridia, successu autem temporis nigra existunt, germ. *mehlthau lause* vocantur, & admodum nociva sunt plantis, quas depascunt. Minimorum tandem animalculorum copiam ibi conspiciatus *A. Leuenhoeck* in *arc. nat. det.* rorem talem ex aere delabi negavit. His adde quæ in chronico patriæ habet *N. Schwelin* ad annum 1659 de rore mellito, flores arborum contrahente, & pronatis indè erucis, frondem earum depascentibus. Sed iterum avtopsia tale quid per nuperos annos non obtulit. Neque in fecali neque in reliquo frumento, nec clavo nec ustilagine, unquam invenimus vel infecta ipsa, vermiculos sive erucas, aliudvè vivum, vel eorum exuvias, foramina, similesvè effectus. Ut nec huc revocare aut applicare liceat *Plantarum Gallas*, circa quas olim occasione putatitiarum *Uvarum* de quercubus aspergensibus occupatus fuit *Præses*. *Scarabæoli, Die Frucht-Käfer* / de quibus infra, suspicionem quidem moverant, sed non tundatam; huc referri vel hinc deduci, an possint, dubitamus. Tanto minus litem de generatione horum æquivocâ, materiæ vitæ aut panspermiæ nescio quâ, hîc faciemus nostram.

Nec tamen qui superest modus tertius caret suis difficultatibus, quas in scholio ad obs. *Hoyer.* jam innuit Ill. *N. C. Præs. Schroeckius*. Difficile omnino est, per quatuor retrò annos constitutionis minime unius, sementem tam autumnalem, per diversas adeò hyemes, quàm vernam, ad spicas quasdam non omnes, hîc paucas ibi multas, non circa unam urbem, sed latè per patriam, diversimodè per agrorum tractus deter-

determinare pro specificâ hâc corruptione , & explicare vel applicare proverbium: *Annus fructificat , non solus ager.* Illud quidem legitur in *E. N. C. 2. o. 112:* *Frumentum ultra centum miseriis esse subiectum , antequam demetatur , aut tritura committatur.* Itaque ex Trago , Tabernamontano , J. Bauhino , Rajus rem ita proponit: *Ustilago segeti accidere solet , antequam è gramineis vaginis penitus sese explicet , ac in culmum attollit , idque cœli constitutione crebrò inconstante.* Quando enim Aprili & Majo post solem ardentem subita pluvia succedunt , & sol continuò ardentes radios spargit , spica adhuc tenera ac latentes , humore madida , à solis fereore correpta , sic aduruntur , ut quàm primùm è vaginâ prodeunt , nigra & veluti pulvere fusco aut atro obsita appareant ; quod ut dictum de avenâ verum apud nos , non de speltâ. *M. Hofmannus* de ustilaginibus frugum: *Anno 1647 cùm frequentes pluvia & acrior solstitii calor alternassent , passim initio julii observabantur.* Nec aliter clavorum secalis majorem copiam notavit ad annum eundem , quasi eadem causa secale in clavos , reliquas fruges in ustilaginem perverteret. Talia principia reliquit *Theophrastus* , cui rubigo fuit putrefactio quædam , cùm exceptus in spicam ros aut minuta pluvia non decutitur , sed solis superventu excalesfactus putrescit. Quatuor tamen juxta *Ipsium* evenit rationibus , ut ne contingat rubigo , quas ita proponit commentator *Scaliger* l. 3. c. 30: Prima est , cùm spica nutat , aliàs surrecta receptum in sinum humorem retinet ; utique zeæ spica fuliginem condens non est acclinata , uti fana , sed stat rectior. Quarta , cùm multum eminet à foliis spica , stipulâ porrectâ ; à spicâ namque tum longè abest humor , qui à foliis continetur. Secunda , cùm vento decutitur humor , aut porrò pluviis eluitur ; undè ex largioribus imbribus vult rubiginem non provenire. Tertia , cùm nox sequitur , resiccatur enim prius humor , quàm solis ferveat calore. Quod de pluviolâ potius intelligendum erit , quàm de rore , qui manè cadit , juxta ea , quæ olim *Præses* in *d. Gelicidio.* Favet ergò bonitati frugum siccitas , præju-

dicat humiditas, vario gradu & modo. Juxta *Plinium* imber in herbâ utilis *tantum*: florentibus nocet.

Quamvis igitur hæ limitationes, & mutuus causæ atque dispositionis in subjecto respectus hanc ætiologiam magis commendet, nondum tamen ita satisfactum fuit *Rajo*, quin ob graves rationes suspicaretur aliam occultiozem subesse culpam. Undè de prioribus ita: *Hæ fortè cause procatarctica & externa ustilaginis esse possunt; quod si non adsit interna dispositio in grano ipso s. semine, causa externa effectum suum non sortiuntur. Hinc agricola nostri maximè cavent à semine segetis ustilagine infecta, & prætereà ad præcavendum hoc malum, semen antequam terræ committunt lixivio ex cinere per 24 horas infusum calce vivâ aspergunt, adeoque firmum efficiunt adversus huius vitii causas. Ita & ex itinerario anglico Monconnysi Sachsius, ne afficiatur uridine frumentum, antequam seminetur, ejus grana per 24 horas in provinciâ chester aquâ falsâ seu muriâ, mistâ cum bolo, macerari, & statim postea terræ mandari, E. N. C. 2. o. 112. ubi & hoc remedium: Rorem spicis illapsum esse dejiciendum chordâ tensâ segeti superinductâ. Videtur ita ustilago suos habere annos morborum instar epidemiorum, quibus veniat, crescat, & decreseat; de quâ quidem comparatione, quàm justa sit, statim.*

Anno 1550 Galli primum viderunt triticum roratum. Ita Helmontius, ubi nova mala colligit, & eorum quasi censum instituit. Sc. ad annum 1494 habet luem veneream: anno 1540 primam in apuliâ visam prætendit Tarantulam: (quæ circumstantia, si vera, malè vulgò à scriptoribus negligitur.) anno 1550 Triticum mellitum: anno 1556 Scorbutum suis oris maritimis novum, veteribus ignotum: Et occasione Febris Castrensis, quam subjungit, ex Fracastorii morb. contag. l. 2. c. 6. addere potuisset ad annum 1508 & 1528 primas sive novas tum Petechias. Noveram ex introductione B. Præceptoris Essichii historicâ pag. 205. novam induisse faciem tunc in politicis hunc

hunc mundum; jam & Pathologiæ Medicæ seculum illud fuisse disco memorabile. Ipsa modò morborum causarumque *Novitas* transeat; pro epicrifi duo sufficiant, quæ ustilaginem concernunt. Primò, nova non fuit veteribus *Italis & Græcis* Rubigo, nec *Germanis* ante medium illius seculi ustilago, quippe quam vel ipse *Tragus* proponit, non tanquam rem novam sed notam; ut *Gallis* planè novam tum fuisse planè nobis dubium sit. Undè secundò hanc frugum pestem vix aliter novam tunc fuisse suspicamur, quàm solet esse pestis hominum, & in genere morbi epidemii, qui post annos multos bonos, post intervalla fortè longiuscula, redeunt novi quidem posteris, sed noti majoribus; aut novi magis uni populo, non æquè alteri: quidquid jam sit de lue venereâ, an ex orbe novo, uti petechiæ è cyprio, velit deduci, an ex nefariâ venere, aut humanarum carniû esu, quidquid item de scorbuto belgis novo, quem tamen Romano militi ab aquis batavis jam adscripsit *Plinius*.

Plaga est, quæ nobis furatur magnum annonæ partem. Uti-que, sed plerunque nulla calamitas sola. per duos annos ustilaginis passim fuit nimis quàm multum, æstimabatur fuligine infecta segetis quarta vel tertia pars in quibusdam locis: Vilis tamen adhuc annonæ. an quòd frumenti veteris boni suppeteret multum? Sed post messem tertii demum anni cœpit & ad messem usque quarti hujus anni crevit annonæ caritas. Non modò ob illud ustilaginis vitium, sed simul ob aliud frumenti detrimentum: Nam communis illo anno audiebatur querela, vel duplo plures ac prioribus annis requiri mergites pro medimno ut impleatur saccus, parum frumenti ex mergitibus in horreo, parum farinæ ex frugibus in molâ obtineri, ob cassas spicas, pauca vel parva in iis grana, fatuum frumentum, *taube Frucht*/in citato chronico ad annos. 1509. 1622. 1623. Jam per Dei gratiam quarta hujus anni messis frumentum dat melius, plenius; Nec dum tamen ubique ab omni ustilagine liberum. Accessit autem illi malo aliud nu-

peris annis, s. certa quædam *insecti* species, quod in magnâ copiâ urbem non unam sed & vicinas communiter invasit, acervos frumenti occupans ita & depascens, ut deproperanda fuerit ejus distractio. Quia nigellum illud animalculum est oblongum, pedatum, alatum, coleopteron, itaque ille frumenti vermiculus, *lupus*, sive tinea non erit, de quo prolixus *Leuenhæck*. An *Curculio* veterum? Illud *Plautinum* Parasiti symbolum, quia hic similiter cibos exesset alienos, ac ille fruges. Adversus hæc insecta remedium qui desiderat, evolvat collectanea *Vossii* in *Theol. Gentil.* p. 4. c. 97. Quis autem tali sub titulo quæreret talia.

Sata est zizania contra potentiores Prælatos. Veneramur Dei justitiam, quæ terram fructiferam reddit infœcundam ob malitiam inhabitantium in eâ; specialem verò culpam transmittimus aliisque relinquimus. Transeat applicatio ad Clerum: Item, quid reliqui novi morbi designent *Helmontio*. Qui hoc morale amat, legat, quæ textum nostrum antecedunt & sequuntur proximè. Inveniet genio *Autoris* digna. De cætero, Botanicis zizania est infelix illud *Lolium*, temulentum, *Schwindel-Ha-bern*. Non alia in pinace *C. Bauhini* occurrit *zizania*. Hæc æritur, hæc frumenti species est, quod ustilago non est. Dum nostræ zææ messis minus habet ustilaginis, ex adverso avenæ messis plus habet lolii hoc anno.

Utinam noscerent ac præviderent! Qui? contra quos sata est zizania. Quid? Non tam plagam, quam plagæ causam? Quo fine? An ut pœnitere discant & deprecari. Huc referam, quæ morbis novis in genere subjunxit Autor noster: *Nil quod hostile est semel, deinceps in suâ specie intercidit, quia ad flagrum immittitur; at cæci non indagamus causam occasionalem, medium letiferum, finem atque remedium.* Suppleat quicunque potest hunc defectum, quem vir tantus non potuit, aut non voluit? Legimus autem Romanos olim celebrasse *Rubigalia sacra*, quo anni tempore ab eo malo metuebant suæ segeti. Plinius hoc docet; Qui tamen futuram rubiginem etiam physicè præsciri posse prætendit; *In hoc*

mirabilem admirari benignitatem natura succurrit, hanc injuriam omnibus annis accidere non posse, propter statos siderum cursus, nec nisi paucis noctibus anni, idque quandò futurum sit, facile nosci. Sc. fundat hoc in Occasu Canis & Plenilunio, siquidem sub horum concursu serena nox rorem tulerit. Huic omne malum imputat, quidquid ipsi obstat, rubiginem avertit, quoniam neque in nube neque in flatu cadunt rores. Frequentissima autem rubigo in roscido tractu, con vallibusque ac perflatum non habentibus. E diverso carent eâ ventosa & excelsa. Ex Theophrasto Scaliger hæc habet: Fit rubigo potissimum Plenilunio. Luna plena caloris auctor est, adducit calorem alienum. Luna putrefacit. Quotusquisque autem hodiè stellarum ortus & occasus pro singulis locis determinat, lunæque phasæ ita metuendas accommodat? Potior passim habetur ratio Planetarum: undè communius calendariographi per nuperos annos malè ominabantur frugibus ob longum saturni & jovis quadratum; meliora promittentes à trigono, sub quo jam vivimus. Sed hæc Astrologorum curæ sint commendata. Fuerunt tamen, qui principium ustilaginis notorium sibi videbantur habere in Novilunio Ecliptico; quis enim non meminit Eclipsis illius Solis Totalis & Annularis, quæ contigit majo illius anni, cujus julius & augustus primam tulerunt illam frugum pestem.

Popularium utinam non morborum plurium causa tandem audit ille ater pulvis tritici. Scilicet ratio nil boni sibi poterat promittere ab alimento sic corrupto, nec tamen videbatur Autori suppetere experientia pro determinandis morbis, undè in expressione generali metûs & suspicionis fundatæ sibi putavit subsistendum, aut potius in voto, ne quid indè mali vescentibus eveniret. Equidem de ustilagine an & quomodò noceat, communiter tacent Botanici: clavos autem fecalis plerique in usum medicum admittunt. M. Hoffmannus de ipsis: Haberi singulare præsidium ad compescendum lochiorum fluxum; Et G. H. Welschius in mictomimemat. ad hæmoptoen. Errare igitur illas obstetrices oportet, quæ clavos illos exhibent fœminis ægrè parientibus, sub vano fortè prætextu, quod vocentur mater fecalis, mütter

Korn, rocken mütterlin. Abstinebit à talibus, qui meliora habet atque tutiora, qui suspectam illam considerat degenerationem, qui denique aliorum periculo sapere discit. Nam de his ipsis videntur intelligi debere verba in *ENC. 2. l. c: Interdum inusitata crassitie granum spicis tanquam superfluum accedere, à nemine ferè observatum, quod multis epidemiis morbis, si ab incolis adhibeatur, occasionem præbere possit.* Et in earundem tomo ultimo, cum extraordinaria clavorum esset frequentia, ab ipsorum in cibis usu vix evitabili, variis morbis epidemiis juniores æquè ac robustæ ætatis homines afflicti leguntur; qui verò fuerint illi, desideratur in appendice. Vix etiam alia fuerunt cornicula illa nigra degeneris secalis, *martins Korn* in sylvâ hercyniâ, de quibus in *ENC. 3. 2. 224. Brunnerus*, quòd qui eis usi miris extremorum convulsionibus & sphacelo fuerint correpti.

Sed à clavis iterum ad ustilaginem: *Atriplicem* illam *fætidam*, five *blitum sylvestre garosmum*, cui per abominandum illum odorem similis ustilago, non tamen suspectam reddunt Botanici, quin vel in conservâ aut infuso ad instar Theæ ausint commendare hystericis; nostratibus aphtharum amuletum est. *Garum* autem fuit in deliciis. Etiam halecem fumatam erunt, qui appetent. Si *fuligo* esset uti vocatur ater ille vitiiati frumenti pulvis, ne sic quidem ex censu medicamentorum excluderetur; nam splendida illa è camino internè assumitur. Quia verò alienæ naturæ est illud vitium, suspectis adeò qualitatibus insigne, hinc sub initium communis passim ab eo non sine causâ fuit metus. Primum minari videbatur periculum tritoribus, molitoribus & pistoribus, atro pulveris fumo intimè ita penetratis, ut emungendo & exspuendo non nisi nigra excernerent; Indè sollicitudo fuit de pecore, cui vel substernitur vel in partem pabuli venit stramen cum glumis vitiiati frumenti; Maximè noxia metuebatur futura ustilago hominibus, farinâ & pane tali, quem infecit, vescentibus. Aggravabat metum insolita insectorum copia, fruges non modò consumtura, sed & infecturâ.

Nihil tamen hætenus fama tulit mali, quod voluerit imputari

putari huic fuligini. An, quòd sufficienter ab eâ fuerit liberatum frumentum? prætenderunt enim pistorès, frequenti motu, conversatione & jactatione granorum illam discuti. Porro singularis molæ beneficio didicerunt eam commodius separare: Tandem ab adhæsu nigri pulveris grana per aquam abluere. Nihilominus nec factum est hoc ubiq; & semper ita accuratè, quin communius aliquid hæserit, nec defuit passim panis inde satis ater, absque tamen eo ut audirentur querelæ inter plebejos & rusticos de noxâ ab illius ordinario esu perceptâ. Equidem quod robusti superant, sentiunt tamen & luunt infirmi; aut quo quis cibo non statim læditur, malè tamen nutritus, datâ postmodum occasione, facilius & gravius ægrotat. Fuit autem istâ fuligine prior tempore febrilis epidemia, quæ urbem tenet, necdum dimittit; & ad quam accedunt, deflectunt, complicantur variè modificandi vulgatiorem morborum plerique. In specie annus seculi octavus omninò gravis & funestus fuit plebi, plures abripiendo acutè, vel conficiendo lentè tabidos aut tumidos. Ipsi, qui malè fructificant anni, non favent sanitati nostræ; Et quod lædit fruges meteorum, nec hominibus parcat, quos offendit in campo, vel quos contingit vesci plantis ibi corruptis, indè allatis. At ab ustilagine, à cassis spicis, ab insectis, sub consumptione bellicâ, quæ successit annonæ caritas alium insuper habet respectum pathologicum: Fames enim & per se vexat miseros, & per accidens inficit cogendo ad cibos alienos, insuetos, immundos. Ne λοιπὸς μετὰ λιμὸν, faxit, qui necessitatibus nostris prospicit, DEUS!

Tantum de Ustilagine: Reliquum destinavi Gelatinis. *Est enim benignum, ut arbitror, & plenum ingenui pudoris, fateri, per quos profeceris.* Ita Plinius de Autoribus, quos transcripsit; Ego etiam de Remediis, per quæ convalui. Deo Gratias! Sint ergo

C O R O L L A R I A.

1. Quod si quis, uti ego, à longis febribus hypochondriacus, non modò doloribus corporis afflictus, sed & animi quiete & vigore privatus, atq; adeò, ut præsumo, generalius foriè siccitatis intemperie & acrimoniæ stimulo vexetur: Tali communicativum amat esse meum illud bonum, utut vile & simplex, nec rarum nec carum.

2. Scil. Gelatina Cervina & Eboracea, sub cuius per ipsam gravem hyemem largo & longo usu, cum accuratiore diatâ, manifestè profeci in melius, ut cibum ita medicamentoſum mei ſimilibus quoque commendare nullus reformidem: Suas aliis relinquens gelatinas compositas, conditas, ambitioſa jura, consummata juscula, &c. quibus non habui opus.

3. Quemadmodum huic adscribo restitutionem appetitûs, ſomni, carnis, virium, nec in hâc Imputatione Medicâ me falli confido, quoties apud animum meum reflecto super omnes circumſtantias: Ita non mēmini, quidquam mali me ſenſiſſe ab hoc viſcido, unde ſibi quidam metuerent, ſed oportet illud benè fuiſſe reſolutum.

4. Nec poſt illas febres ſub lentâ gelatinam abhorruī in juſculo, uti Helmontius jura carniū generaliter in febre, tanquam quæ facilè tum cadaverantur, & impurum corpus non nutriant; Poterit in tali caſu ſuam Citri acido condire, cui mea non ſapit.

5. Gelatinæ Animalī reſpondet Gummi Vegetabile. An & quando unum vel alterum mage conveniat? problema eſto. Gelatinas autem Vegetabiles, ſive Electuaria officinarum pellucida, Syrupos quaſi Conſiſtentes, nondum expertus, relinquo delicatis.

6. Quid ſint gelatinæ & fiant Phyſico-Chymicè, ſive quæ mixtura elementorum, ſive quæ formatio materiæ? quâ ipsis potentiâ inextiterit vel actū aut formâ, quod poſt putrefactionem & aduſtionem indè prodiit Sal Urinoſum & Oleum Fœtidum, an per ſimplicem Analyſin, aliamve Syntheſin, aut novam Geſeſin, dabit materiam litis in cathedrâ.

7. Nec modum agendi quo juverint determinare auſim, quin controverſis involvar: Utrum Opponentibus futurum ſit verosimilius: An Mechanica ſtricturarum ſpaſmodicarum relaxatio? An Chymica ſalinæ volatilis fœtura energia? Atque adeo an Cauſæ Occaſionalis correctio, aut vitalis Naturæ reſectio? per conſlictum ad-diſcam.

8. Aliarum gelatarum periculum non feci; Aliorum ergo Medicinæ Tentativæ commendo prætenſas earum differentias ſpecificas. An Cornu Cervinum Ebori vel Unicornu ſit æquivalens antiſpaſmodicum? An gelatina peſum & ituli par ſit viribus Cervinæ, Eboracæ? An, cū ſuppetat Ichthyocola, carere & ſuperſedere poſſimus illis omnibus?

9. Item, quo jure vel affectet vel formidet gelatinam Offium Humanorum Podagricus? Viperinam Leproſus? Dentris Apri Pleuriticus Hebraus? Aut caduci ſponte Cornu Cervini, qui mundam ſine carne cœnam vult, Pythagoricus?

10. Cui non ſufficit gelatina, quid obſtat, quo minus prudenti deliberatione vel conjungat vel ſubjungat, ſi quæ convenire novit remedia. Ego ex talium numero honoris ergo nominabo Cortices, Nitrum, Lac, vel Acidulas.

SOLI DEO GLORIA.

A Bſit græca πλάνη. Planum ſimplexque latinum,
Si quid vota valent, Nominis omen erit.

Dn. Reſpondenti PLANERO
gratulabundus accinit

P R Æ S E S